DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VIGORE ET DEBILITATE,

EORUMQUE SIGNIS IN CORPORE HUMANO.

6

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VIGORE ET DEBILITATE,
EORUMQUE SIGNIS IN CORPORE HUMANO;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;
Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

JACOBUS CORKINDALE,
SCOTUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN.
BIS PRÆSES ANNUUS,
NECNON
SOCIET. NAT. STUD. EDIN.
NUPER PRÆSES ANNUUS;

VIII. Cal. Julii, Horâ locoque ſolitis.

IN adminiſtrandis remediis memoriâ ſemper tenere oportet, non nominis morbi ſolùm, neque ſanè generalis ejus naturæ, rationem eſſe habendam, ſed multas vel minutiſſimas ſæpè res eſſe reſpiciendas, tum quæ ad morbi originem et cauſas, et *indiciorum varietatem et conjunctionem*, tum quæ ad *ægri ſtatum, et vires*, et peculiarem fortaſsè corporis conſtitutionem, attinent.

CONSPECT. MEDICINÆ.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1801.

VIRO SPECTATISSIMO,

JOANNI YOUNG, S. R. S. EDIN.

LITERARUM GRAECARUM

IN ACADEMIA GLASCUENSI

PROFESSORI

SALUTEM

JACOBUS CORKINDALE.

Necesse erat mihi, morem consuetudini hujus Academiæ gerenti, ut meæ Dissertationi imponam nomen alicujus, quem summo in honore habeo, aut cui ob beneficia accepta devinctus sum. Hoc officium obiturus, ne per exiguum quidem tempus præ dubio hæsi; nam nemo usquam mihi notus est, Te eruditior, nemo feliciore ingenii acumine insignis, nemo in re Grammatica magis peritus. Quantâ voluptate Tibi aurem per quadriennium præbui, nunc meminisse juvat, et ad ultimam vitam semper juvabit: tuæ enim Prælectiones, etsi de rebus sæpè minutis, nunquam verâ et accuratissimâ Scientiâ non repletæ sunt. Nec decet tacere beneficia et honores, quæ in me, tuum Alumnum, contulisti; de his animum semper gratissimum gero. Vale, Vir Egregie, et in bonam partem hoc pignus meæ observantiæ accipe.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VIGORE ET DEBILITATE,

EORUMQUE SIGNIS IN CORPORE HUMANO.

AUCTORE JAC. CORKINDALE.

CORPUS animale, dum vitâ fruitur, multis et variis fungitur muneribus, quæ, propter inter ſe ſimilitudinem, ad capita diverſa, ſeu claſſes, apud medicos *functiones* dictas, referri ſolent. Hæ verò functiones, licèt cauſa ignota ipſius vitæ fortaſſè ſit prorſùs unica, et indiviſa, pro effectibus ex cauſis diſtinctis ortis, in ſermone communi, habentur. Hinc omne animal, quod ad plures functiones obeundas valet, tot *viribus* diverſis præditum eſſe dicitur.

Sed vires vitæ animalis tàm gradu quàm genere, multùm inter ſeſe differunt: nam nulla eſt functio, quæ omni in genere animalium, aut in quocunque animali ejuſdem generis, aut eodem in animali omnibus temporibus, eâdem actionis vi perficitur. Calor, quo corpus humanum morbo immune gaudet, prope ad gradum nonageſimum et ſeptimum pervenit; ranæ verò, eodem in aëre viventis, non altiùs quàm circa gradum quadrageſimum et quintum aſcendit. Vis, igitur, quæcunque ſit, quâ calor animalis alitur, fortior in illo, quàm in hac, habenda eſt. Alteri, qui aliquam rem ex mille paſſuum clarè videre poteſt, major eſt vis perceptionis quàm alteri, cui res eadem, ad eandem diſtantiam remota, indiſtinctè et confuſè apparet. Satis quoque clarè conſtat, motûs muſculorum in aliquo tabe vel febre laborante, quàm integrâ valetudine fruente, vim multò eſſe minorem. Hoc modo vis functionis cujuſque variari poteſt; hincque Vigor et Debilitas evadunt qualitates, quibus vita animalis afficitur.

Hìc verò quæstio, tàm difficilis, quàm momenti haud levis, se prodit; nimirum, *quænam sint illae corporis humani conditiones, quæ nomina vigoris et debilitatis jure merentur; et quænam signa ad illas dignoscendas valeant?*

Hæc verba apud medicos semper in ore sunt; hinc ad Medicinam, tàm practicam, quàm theoreticam, multùm nostra interest, ut hac de re cognitionem claram certamque habeamus. Nam illa verba haud minus in scriptis medicorum, quàm in sermone communi ambigua et malè definita sunt; adeóque pro conditionibus corporis humani omninò diversis non rarò usurpantur: hincque Pathologia et Therapeia, invitâ Minervâ, ad elementa nimis simplicia et generalia à nonnullis redacta sunt.

Secundum quamdam Theoriam nostris temporibus latè pervulgatam, et à medicis haud imperitis summâ laude elatam, hæcce affectiones, scilicet, gradus virium diversi, non solùm cunctas valetudinis secundæ formas, sed etiam totam illam morborum, quibus corpus humanum afficitur, cohortem soli faciunt. His, igitur, affectionibus

nibus cognitis, nihil Physiologiæ aut Pathologiæ ferè ampliùs nobis cognoscendum esset, quò ad medicinam ritè faciendam omni ex parte instruamur.

Quidam vigoris in vitæ functionibus gradus, docentibus hujus Theoriæ fautoribus, salutem; erroresque, sive ad excessum sive ad defectum ab hoc gradu, cuncta in Nosologia genera morborum faciunt. Sic igitur quantum vigoris aut debilitatis unumquemque morbum faciat, compertum habere penès nos sit; et si (ut ipsa Theoria quoque imperat) res omnes ad corpus humanum afficiendum valentes plùs minùsve, quâdam vi stimulandi vel roborandi præditas esse credamus; gradum vigoris ad arbitrium nostrum moderari; et ad salutis punctum, aut nimium vigorem subigere, aut debilitatem morbosam levare et excitare facillimè possumus.

Si quid in hac doctrina veri sit, medicina non minùs, quàm aliæ scientiæ, perfecta est; et ars nostra, heu! satis diu meritò dicta *conjecturalis*, debet quam primùm ab humo se erigere, superbiamque meritis quæsitam sumere; et tantâ fide,

quantâ

quantâ tonſores ſocii noſtri barbam *amputare*, aut caliendrum texere poſſint, ſe ægris opem et integram valetudinem eſſe laturam promittere audet. Annon hanc doctrinam pro vera accipere, et tantam medicinæ fidem dare nos deceat, ex investigatione, quæ nunc nobis in conſilio eſt, ad exitum perductà, forſitan elucebit.

Hæc verò inveſtigatio quoque iis, qui hanc theoriam jamdudum prorsùs rejecerint, prodeſſe poteſt; nam etſi nobis procul omni dubio ſit, totam morborum omnium naturam, et cauſam proximam minimè è vigoris exceſſu et debilitate ſolis conſtare: tamen poſteà clarè apparebit, quòd, ſecundum gradum vigoris, quo æger prædítus ſit, omnes à ſtatu ſano defectiones multùm variari poſſunt; hincque in medicina facienda, remedia roborantia, aut infirmantia ad ægri vires accommodata cum aliis, quæ ad morbos ipſos tollendos propria ſunt, conjuncta, nobis utenda ſunt.

In ſignis, quibus vigor et debilitas in corpore humano dignoſcantur, exquirendis, præcipuè ad functionum conditiones eſt reſpiciendum. Nam ipſæ

ipſæ vitæ vires aut facultates noſtris ab oculis longè remotæ ſunt; et de earum ſtatu quod ad exceſſum vel defectum, effectibus ſolis, qui ab iis oriuntur, certiores eſſe poſſumus. Nobis ſunt igitur obſervanda omnia, tam in ægris, quam in iis integrâ valetudine fruentibus, quæ noſtris ſenſibus obvia ſint; quippe quæ à viribus vitæ effecta, ad vigorem, quo cauſa vitæ ipſa ſuis muneribus fungitur, oſtendendum valent. Eodem conſilio effectus, quos quædam res externæ ad corpus humanum ſæpè admotæ, edere ſolent, ſedulò quoque notandi ſunt. Si in quocunque morbo remedia ſic dicta *roborantia* multùm profuerint, ſi in alio eadem majores functionum læſiones intulerint; ſi in illo *infirmantia* detrimento, in hoc bono fuerint; debilitatem in illo, vigorem in hoc magis adeſſe, nobis concludere licet; et jure quidem, quatenus ſaltem argumenta à *juvantibus* et *lædentibus* apud medicos aliquid valeant. Confitendum verò eſt, hanc methodum admodùm eſſe fallacem; nam modus, quo pleraque remedia ſuos effectus in morbis ſanandis producunt, ferè prorsùs, omni

conjecturâ

conjecturâ rejectâ, nobis latet. Opiniones nostræ circa modum, quo nonnulla remedia corpus humanum afficiunt, à commentis de morborum causis proximis, solùm deducuntur. His verò commentis nihil aliud est fundamenti, nisi cognitio ficta et vana circa modum, quo eadem remedia suos effectus edunt. Hæc methodus verò æquè à Logica, quàm sensu communi abhorrere videtur. In investigatione sequente eundem errorem evitare conabor; nam à remediis solis, quorum effectus benè cogniti, et in corpore sano ac morbis laborante similes sint, argumenta quærere est nobis propositum. Nemo, ut mihi videtur, inficias ibit, sanguinis detractionem, validam alvi purgationem, frigus diuturnum, victumque tenuem, (tenuem quod ad ægri consuetudinem relatum) vi infirmandi; et contrà vinum, victum lautum, Corticem Cinchonæ, Alkalique volatile, vi roborandi prædita esse.

Sed priùs quædam observationes præponendæ sunt, quàm ad propositum ipsum progrediar.

Nulla fortasse corporis humani conditio datur, quæ *Excessus vigoris* plenè et absolutè appellari meretur,

meretur. Nam in Pneumonia, Catarrho inflammatorio, Phrenitide verâ, Rheumatiſmoque acuto, quæ morbi indolis *ſthenicæ* vulgò recenſentur, quæque feliciter methodo infirmandi tractari ſolent, nonnulla ſunt indicia, quæ potiùs debilitatem, quam nimium vigorem produnt. Languor, nauſea, anorexia, ſenſus laſſitudinis, vis motûs muſculorum depreſſa, animus demiſſus, aliaque ejuſdem generis ſymptomata minimè pro exceſſûs vigoris indiciis haberi debent. Ægris quoque ex his morbis convaleſcentibus, cibus benè nutriens, vinum, aliaque ſtimulantia et roborantia liberè concedenda ſunt, etſi remedia infirmantia parcâ manu adhibita fuerint. Hinc nec in ſermone communi, nec medicorum unquam dictum eſt, ægros his morbis decumbentes nimio vigore affici. Non tamen mihi latet, illa debilitatis indicia, delirio hiſce in morbis urgente, pleraque nonnunquam abeſſe, ſignaque contraria in conſpectum venire. Appetitus cibi fit inexplebilis, facultas movendi intenſa, oculi truces, et facies tota præter ſolitum vivida. Quoniam verò hæc affectiones non ſemper adsint, aliis in fun-

ctionibus

ctionibus quærendus est ille vigoris excessus, qui talium morborum comes fidus est, et qui usum methodi infirmantis suo jure postulat.

Quibusdam ægris maniâ laborantibus est vigor, in sensu ferè absoluto *nimius* appellandus. Animus ferox, sensus acuti, mens velox, facilitas loquendi mira, appetitus et perturbationes acerrimæ, festinatio et inquietudo omnibus in negotiis perpetua, vis artuum insolita, refectio virium plena ex parco somno, et demùm facultas solitâ major res nocivas impunè tolerandi; hæc aliaque in maniacis sæpè observata, vigoris nimii indicia haud dubia sunt. Quoniam verò judicium, et facultas menti insita sese gubernandi multùm deficiant, in mania quoque excessus vigoris, saltem quod ad functiones omnes, non perfectus, nec omninò expletus est.

Debilitatis duo sunt genera, multùm celebrata, fortassè inter se differentia, non quod ad eorum indicia, sed potiùs quod ad causas, quibus oriuntur. Duo putà sint homines, quorum alter per triduum nec cibum nec potum sumpserit; alter verò idem tempus helluatione perpetuâ contrive-

rit. Ambo, die quarto, cùm in conſpectum noſtrum veniant, ferè nihil diverſi oſtendunt. Utrique eadem eſt vultûs hebetudo et languor, eademque omnibus in functionibus vitæ debilitas. Hæ tamen conditiones, reverà inter ſeſe admodum ſimiles, à cauſis valdè diſſimilibus oriuntur. Debilitas in illa *proxima* eſt, quoniam ex eorum, quæ vitam alunt, defectu oriatur; in hac *ſecundaria*, à ſtatu, qui præceſſit, nimii vigoris inducta. Illa *Aſtheniam Directam*, hæc *Indirectam*, ut dicuntur, facit. Hoc diſcrimen ex natura ipſa depromi videtur; illaque verba fortaſſè ſatis idonea ſunt: quid verò huc uſque Brunoni aſſentire non audeamus? Haud opus eſt nobis huic obſervationi faventibus, quod in verba juremus totius doctrinæ; quippe quæ, quanto ſimplex et pulchra ſit, tanto à veritate vacet, et phænomenis, in corpore tàm ſano quàm morboſo obſervatis, non innitatur.

Debilitas, ut mihi videtur, non ſemper ejuſdem indolis eſt. Multis in morbis, ſive pyrexiâ, ſive nullâ comitatis, vis artuum proſternitur: hoc verò debilitatis indicium alio in morbo aliud eſt.

Quanto

Quanto vis artuum in febribus depreſſa à ſcorbutici vel phthiſici debilitate diſtat? Quid iterum huic debilitati cum paralyſi commune ſit? Debilitas quocunque in morbo vix, et ne vix quidem, iiſdem remediis ſanari poteſt; et fortaſſè ex cauſis omninò diverſis oritur. Vis artuum imminuta, quâ febris ingruit, et debilitas, quæ verſus finem morbi facultatem movendi afficit, indolis admodùm diverſæ ſunt: nam illa, febre ſubactâ, ſuà ſponte ſtatim evaneſcit; hæc gradatim ſolùm abit, et ſæpè cibum benè nutrientem, vinum, aliaque remedia poſtulat. Diſcrimina tàm clara quàm magna non prætermittenda ſunt. Eſt quidem Philoſophiæ res *ſimiles* ad capita magis generalia referre, non verò res valdè *diſſimiles* confundere, et ſine ordine miſcere; nam hinc oritur confuſio, quæ medicinæ tàm practicæ quàm theoreticæ haud parum nocet. Quicunque morbi igitur à debilitate, quæ planè indole diverſâ ſit, comitantur, minimè ad eundem ordinem referri debent.

Non tamen mihi in animo eſt, (nam opus nimis difficile foret,) omnium vigoris defectuum,

diverſis

diversis in morbis occurrentium, naturam et indicia exquirere: tantùm ad vigorem et debilitatem, eorumque signa, ut in *Pyrexiis* occurrant, animadvertere nunc propositum est.

Nobis igitur est incipiendum à pulsu arteriarum; quippe qui, magis quàm cæteræ functiones omnes, à corporis statu afficitur.

Arteria, per suam distentionem, digitum explorantis nonnunquam magnâ vi ferit; hinc pulsus *Validus* aut *Fortis* esse dicitur.

Distentio autem arteriæ ex unda sanguinis per ventriculi sinistri contractionem impulsâ oritur. Ex momento igitur sanguinis aucto distentio valida evadit. Hoc verò momentum auctum ex aucta sanguinis copiâ, ex ejus vi stimulandi præter solitam intensâ, aut ex facultate in ipso corde contrahendi nimiâ oriri potest. Hæ affectiones ex immodica chyli copiâ, ex oxygenii inspiratione, ex multis stimulantibus, præcipuè calore post frigus admoto, vel denique ex variis irritamentis, vel totum genus nervosum vel tantùm cor afficientibus, suam originem in corpore humano ducere solent. Quoniam sanguinis detra-

ctio

ctio, cæteraque remedia *Administrationis* sic dictæ *Antiphogisticæ* in his nocivis obsistendis, et in corporis statu, ab illis inducto, tollendo, maximè pollent; nobis pulsum validum pro nimii vigoris indicio habere licet.

Cum contrà pulsus *Debilis* sit, distentio arteriæ pulpam digiti minore vi ferit; vel, aut quidem dicunt, pulsus faciliùs comprimi potest. Momentum sanguinis nunc minuitur, vel ex ejus inopia, vel ex minuta vi, quâ gaudet, stimulandi; vel quia facultas, quâ cor ipsum ad contractionem cietur, præter solitam deficit. Causis verò hanc conditionem excitantibus, et remediis, quibus tollatur, probè perspectis, parum dubii nobis relictum est, quin pulsum debilem debilitatem totius corporis prodere dicamus.

Arteria verò non solum validè, sed etiam magnam ad molem dilatari potest; vel diametros arteriæ dilatatæ, quam contractæ, multò amplior sit. Pulsus, cum res ita habet, vulgò *magnus*, sive *amplus* esse dicitur. Pulsus *plenus*, ut mihi videtur, idem valet; nam quomodo arteria, cum non penitùs impleatur, magnum ad molem dila-

tari

tari poteſt, dicere neſcio. Cùm pulſus magnus et plenus adſit, copia ſanguinis præter ſolitam aucta unaquâque cordis contractione impellitur. Oritur verò partim à nimia plenitudine; partim à viribus, quibus cor ad contractionem cietur, auctis; quo ventriculus ſe penitùs depleat, et unda major in arterias tranſeat. Arteriæ quoque ipſæ, validam ad contractionem ſtimulatæ, in volumen exiguum ſe reducunt. Ex ſupra dictis nobis ſperare licet, quod talis circuitûs conditio ab adminiſtratione antiphlogiſtica, præſertim ſanguinis detractione, corrigi, vel prorsùs auferri poſſit: ſpes verò noſtræ, re expertâ, non falluntur. Pulſus igitur plenus et magnus pro vigoris indicio habendus eſt.

Pulſus *Parvus* nominatur, cùm arteria expanſa, quàm contracta, non multò amplior ſit. Nonnunquam ſanguis, cum nulla arteriæ dilatatione evidente, inſtar formicæ, prorepere videtur; hinc pulſus *Formicans* dicitur. Satis conſtat, pulſum parvum, quod ad cauſas, indicationes, et curationem, pulſui magno ſive pleno directè oppoſitum eſſe; et igitur pro debilitatis ſigno haud immeritò recenſeri.

Durities

Durities pulsûs ægrè verbis definitur, sed à medico haud difficilis diſtinctu eſt. Arteria chordæ vibranti æmulari videtur; hinc pulſum eſſe *Tenſum*, et *Chordatum* dicere ſolemus.

Pulſus durus, ſecundum Fordyce, illum periſſimum medicum, ſub initio contractionis arteriæ ſentitur.* Oritur verò, ut mihi videtur, ex valida arteriæ ſyſtole, copiam ſanguinis auctam impellente. Utcunque hoc ſit, pulſus durus valido admodum ſimilis eſt, et eundem, ac hic, totius corporis ſtatum indicat.

Pulſus *mollis* ægrè quoque definitur, verò diſtinctu facilis, indolis prorsùs contrariæ eſt: itaque remedia roborantia poſtulat; neque ſanguinis detractionem facilè tolerat, ſæpè omninò reſpuit. Hìc tamen benè notandum eſt, pulſum mollem, cum ſit quoque plenus, non debilitatem morboſam, ſed potiùs ſtatum remediis infirmantibus tollendum, indicare. In quibuſdam pneumoniâ laborantibus, qui ſanguinis jacturam benè ferunt, pulſus plenus et mollis adeſt; hinc orta eſt opinio illa Veterum, nimirum, quòd apud

* Diſſ. On Simple Fever, p. 73.

apud pneumonicos pulſus mollis, in ipſo pulmonum parenchymate; durus, in pleura ſive coſtali, ſive pulmones inveſtiente, inflammationem ſuum locum habere, indicat.

Inter *Celeritatem* et *Frequentiam* aliquid diſcriminis intercedit: illa ad tempus, quo ictus ipſe perficitur; hæc ad intervallorum durationem refert. De Celeritate autem in hoc ſenſu receptâ, nihil amplius dicere mihi in animo eſt; partim quia perdifficilè diſtingui poteſt; partim, quia ferè ſemper frequentiæ comes eſt, et fortaſsè ab eadem causâ oritur.

Pulſus *frequens* ad nullum ictuum, qui horæ *minuto* peraguntur, numerum certum et definitum refert: nam frequentia, quæ valetudine incolumi obſervatur, alia in aliis eſt; et quælibet ab ea erratio non rectè pro morbi indicio habetur. Quidam æger, cui, integrâ valetudine fruenti, arteriæ ictus viginti et quatuor in horæ *minuto* peregerant, febre acutâ, cum pulſus quadraginta tantùm numerati ſunt, affici habitus eſt: et rectè quidem, nam, ictibus ſeptuaginta et quinque pro frequentia communi ſumptis,

tis, quadraginta apud hunc ægrum tantùm, quantùm centum et viginti quatuor apud cæteros, valebant.* Talibus verò prætermiſſis, pulſus 68ties in *minuto* micans, *tardus*; 84ter, *frequens*, appellari meretur: adeòque relinquitur ſpatium ſexdecim ictuum, qui ſine valetudinis periculo variari poſſunt.

Pulſus præter ſolitum tardus in morbis aſtheniâ ſtipatis nonnunquam obſervatur; nam arteriæ ipſæ torporis, quo totum corpus hiſce in morbis afficitur, ſæpè participes fiunt.† Interdum quoque cerebrum, ut in Apoplexia Hydrocephalica evenit, ex vaſis turgidis, aut ex effuſione, compreſſionem patitur.

In morbis quoque ſanguinis jacturam aliaque infirmantia benè ferentibus, pulſus aliquantò tardior ſolito interdum evadit. *Ruſh*, ille peritus medicus, nos certiores facit, ſe ægros, febre illâ flavâ decumbentes, nonnullos vidiſſe, quorum pulſus quadraginta in horæ *minuto* tantùm nu-

C merati

* Falconer on the Pulſe, p. 52.

† Jackſon on Fevers, p. 186.

merati ſunt; et ex venæſectione adhibitâ, multò frequentiores ſtatim evaſêre.* Idem, obſervante Huxham, in pneumonia haud raro evenit. Quò medici compertum habeant, annon pulſus tardus, ubicunque accidat, vigoris aut debilitatis indicium ſit, haud difficile videtur. Ex aliis, quæ adſint, ſymptomatis, ex juvantium et lædentium uſu, *Diagnoſis* clara certaque deduci poteſt.

In pyrexiis tàm ſthenicis quàm aſthenicis, pulſus præter naturam frequens eſt; longiùs verò, ut mihi videtur, in his, quàm in illis, ſuper frequentiam ſano in corpore ſolitam plerumque aſcendit. Pulſus validus, plenus, et durus, rarò ſupra centum et viginti numeratur: pulſus verò debilis, parvus, et mollis, plerumque hoc numero frequentior evadit; et ſæpè ictus debiles ducenti numerari poſſunt. Aliquem numerum certum pro ſumma pulsûs validi frequentià eligere, fortaſsè impoſſible eſt. Hoc tamen Dr. Falconer conatus eſt. "The utmoſt boundary, "(ait ille,) of the pulſe in inflammatory fevers is, "when

* Vide Rush on the Yellow Fever.

" when its proportion to the natural ſtandard " of the individual is as 1.6 to 1 : while the fre- " quency of debility is in the proportion of 1.76 " to 1."*

Annon hæc computatio omninò naturæ conſentanea ſit, haud dicere poſſum; de doctrina verò ſupra dictâ, ex multis auctorum obſervatis, nos certiores ſimus. Morbis inflammatoriis in debilitatem per ſuùm decurſum mutatis, pulſus multò quàm in initio frequentior ſit. Hinc oritur ſumma illa pulſuum frequentia, quæ in ultimo Apoplexiæ Hydrocephalicæ † ſtadio, et apud ægros ex cæteris morbis acutis moribundos ſæpiſſimè obſervatur.

Cum

* Falconer on the Pulſe, p. 51.

† In hoc morbo pulſus frequentiſſimus præcipuè ex cerebri compreſſione oriri videtur; nam idem ex oſſe cranii depreſſo evenit; nimirum, pulſus in initio tardus, tandem frequentiſſimus evadit. Cur pulſus, ex cerebri functione magis impeditâ, frequentior fiat, ratio forſitan patet, ex paulò poſt dictis de debilitate ab aliis cauſis oriente.

Cùm pulſus præter naturam frequens, et inſuper plenus, et validus ſit, crebræ oriuntur cordis actiones; partim ex copia ſanguinis auctâ per venas redeunte; partim quoque, quia illa in ipſo corde vis, quâ ad contractionem cietur, præter ſolitum intenſa eſt. Sanguinis verò impetus, pulſu frequentiſſimo, at parvo, debili, molli, non augetur, immo potiùs imminuitur: ſcilicet conatus crebriores à vaſis faciuntur, tamen ad undam plenam ſanguinis impellendam non valent. Ventriculus igitur cordis, et arteriæ ipſæ non benè depleta, citiùs iterum diſtenduntur; quo ad contractionem novam ſtimulum ſentiunt. Haud raró quoque accidit, fibras muſculoſas, ſive voluntati parentes, ſive non, quo minore vi præditæ ſint, eo mobiliores fieri, vel ad contractiones faciliùs excitari. Hinc vaſa ſanguifera, quórum fibræ debiles fiant, ex parciore quam ſolitâ diſtentione, contrahere incipiunt. Hiſce verò in affectionibus morboſis, ex vini aliorumque roborantium uſu, pulſus minus frequens fit, et tantò plenior, et fortior evadit.

Memoriâ

Memoriâ autem tenere oportet, quibusdam in morbis, nimirum, Gastritide, et Enteritide, in quibus sanguinis detractio sine gravissimo discrimine negligi non potest, pulsum parvum et frequentissimum plerumque observari. Hic tamen ab illo pulsu, supra pro debilitatis comite recensito, distinguendus est, quippe qui, quamvis parvus, tamen durus, tensus, vel, ut quidam dicunt, *contractus* esse reperitur.

Corpus animale huic legi sibi propriæ subjectum est, nimirum, quòd ejus vires, cùm debiles fiant, sæpè abnormè, interdum cùm vigoris specie suis muneribus fungantur. Hinc oriuntur spasmi et convulsiones, quæ morti præire solent. Affectiones ejusdem generis in fibris musculosis, sanguinem moventibus, eveniunt. Hæ verò sunt illi motus abnormes, quibus pulsus afficitur. Ictus interdum omittitur; intervalla inæqualia sunt; ictus quòd ad eorum vim inter se differunt; et, contractione in medio relictâ, nisus denuò ad illam perficiendam fit. Hæc exempla aliaque similia, quæ apud medicos nomina nanciscuntur, pro debilitatis signis, ut mihi videtur, plerumque haberi

debent.

debent. Memoria verò tenendum eſt, quibuſdam in morbis, à causa locali aut læſione organicâ orientibus, et nullâ aſtheniâ inſigni ſtipatis, illos motus abnormes ſæpè adeſſe. Sic, pulſus *intermittens*, cùm quibuſdam malis organicis comes ſit, interdum à ſthenica pulmonum, præſertim cordis ipſius, inflammatione, ſuam originem ducit. Alii quoque in circuitu motus abnormes nonnunquam oriuntur, ex nimia ſanguinis copiâ, vaſa ipſa quaſi opprimente. *

Illæ conditiones pulſûs diverſæ, jam nunc enumeratæ, pro primis et certiſſimis vigoris et debilitatis ſignis haberi benè merentur. Cætera in cæteris vitæ functionibus nunc mihi quærenda ſunt.

In ſanguine humano, et animalium homini ſimilium, continetur principium, quod ſuâ ſponte cogitur. Hæc autem coagulatio, pro pulsûs varietatibus anteà dictis, admodùm variatur. Cùm pulsus plenus, fortis, et durus ſit, gluten tardiùs quàm ſolitò ſe cogere incipit; quo fit, quòd particulæ rubræ abundantiùs imum petant, ſerumque pleniùs

* V. Huxham on Fevers, p. 181.
Ruſh on the Yellow Fever, p. 37.

pleniùs effluere finatur: hinc craffamentum, tenax, contractum, cruftâque albâ inftar corii tectum, apparet. Gluten verò, fanguine è venis ægri, cujus pulsus præter folitum parvus, et debilis fit, miffo, citiùs coagulationem fubit; quo particulæ rubræ, ferumque ferè prorfùs retinentur, et craffamentum fuperficiei floridæ, et folutu facile obfervatur. Fortaffè à coactione tardiore efficitur illa cohefio glutinis firmior, eodem modo, quo ferrum aut vitrum, per operationem Anglicè *Annealing* dictam, tenacius redditur. Nam corpufcula lentiùs à fluido ad folidum tranfeuntia, alterum cum altero, quo fua attractio mutua validiffima eft, fe adjungere poffunt. Utcunque hoc fit, craffamentum coriaceum, et tenax, vigorem; floridum et diffolutum, debilitatem indicat.

Haud verò mihi ignotum eft, huic figno parùm confidere quofdam medicos; quippe qui dicunt, illam cruftam ex fymptomatis expectatam fæpè abeffe, interdum quoque inopinatò fe prodere. Nos verò meminiffe oportet, hanc minorem ad coagulationem proclivitatem induci aut impediri poffe, ab aliis, præter in circuitu vigorem et debilitatem,

bilitatem, caufis; quarum effectus pro phænomenis illis inopinatò obſervatis rationem plenam reddunt.

Illa cruſta tenax, quâ craſſamentum obducitur, pro fida inflammationis comite et indicio diu habita fuit; minus rectè quidem, ut mihi videtur: nam, ut in Hæmorrhagiis, Variola, aliiſque Exanthematis, quæ inflammationi affinia ſunt, cruſtam obſervatam taceam; ſanguis ægrorum Tertianis, præſertim vernalibus, et Synochâ ſine morbo topico, decumbentium *, perſæpè ſuperficiem coriaceam oſtendit. Præterea, ut fuſiùs ſuo loco oſtendere mihi propoſitum eſt, inflammatio graviſſima topica corpus humanum nonnunquam afficit, cùm ſanguis miſſus citiùs quàm ſolitò coagulationem ſubit, craſſamentumque floridum, molliſſimum, et penè diſſolutum oſtendit.

Hic nexus, qui inter cujuſvis animalis vigorem, et ſanguinis ejus coagulationem intercedit, ab experimentis per Hewſon factis, extra dubium relinquitur. Nam, ſanguine ovis in pateras plures recepto, "The blood," ait ille, "which came "from

* Frank. de Cur. Hom. Morb. tom. 1. 185.

" from the veſſels immediately on withdrawing
" the knife, was about two minutes in begin-
" ning to coagulate; and the blood taken later,
" or as the animal grew weaker, coagulated in
" leſs and leſs time, till at laſt, when the ani-
" mal became very weak, the blood, though
" quite fluid as it came from the veſſels, had
" hardly been received into the cup before it
" was coagulated." *

Omnium vitæ functionum illa, quâ calor humani corporis alitur, et temperatur, haud leviſſimi momenti eſt; mutationeſque, quas ſubit, ſummam medicorum attentionem optimo jure ſibi vindicant.

Calor corporis humani integrâ valetudine fruentis, Thermometro ritè admoto exploratus, ſemper ad gradum nonageſimum et ſeptimum pervenit. Cùm pulſus fortis, plenus, admodúmque ſolito frequentior ſit, calor ad gradum 100, aut 105, vel etiam ad 110, augetur; qui pulſum parvum, debilem, et frequentiſſimum comitatur,

 infra

* Experimental Enquiry into the properties of the blood, p. 61.

infra gradum valetudinis defcendit. Hoc in membris extremis, quibus circuitus magis languet, præfertim obfervatur. Hinc membra frigida apud medicos pro fummæ debilitatis in viribus vitæ indicio vulgò habentur. Eadem in morbis topicis eveniunt. Calor in parte ab inflammatione affectâ, intenditur: dum gangræna, impetu circuitûs deficiente, frigefcit. † Si nihil ampliùs, quàm fupra dicta, de calore morbido cognitum effet, nobis liceret, ut ftatuamus, calorem falutis propè ad gradum 97 effe; calorem *auctum*, vires nimias; *imminutum*, debilitatem, indicare. Si verò ad quofdam morbos, quibus homines plectuntur, vel minimè incumbatur, hæc conclufio multùm veritate abhorruiffe apparebit; ad alia principia igitur confugiendum eft. Illa tamen obfervatio prior, nempe, quòd pulfus fortis, plenus, et durus, calore plurimùm aucto ftipatur, ferè fine ulla exceptione recipienda eft: hæc verò multis exceptionibus objicitur; nam debilitas in fanguinis circuitu, nifi cùm extrema fit, calore fupra gradum 97 intenfo plerumque ftipatur.

† Leflie's Inquiry con. Animal Heat, p. 48.

ſtipatur. Operæ igitur pretium faciemus, ſi, quanto opis eſt nobis, conaremur deprehendere, quid diſcriminis inter calorem auctum vigoris, et debilitatis, vel, (ſi ita loqui fas ſit,) inter calorem *ſthenicum* et *aſthenicum* * intercedat.

Calor ſthenicus, altiùs quàm aſthenicus, ſupra gradum valetudinis plerumque aſcendit. Hinc *calor plurimùm auctus* in Synochæ, *parùm auctus* in Typhi definitione reperitur. Idem ab auctoribus in medicina practica haud parvi nominis obſervatur. † Non verò obliviſcendum eſt, hanc obſervationem non ſemper veram eſſe; niſi cùm medicus de caloris gradu, Thermometri ope, certior factus fuerit: nam ægri ſummâ debilitate affecti, nullo vel minimo per Thermometrum oſtenſo, de ſenſu caloris graviſſimo interdum queruntur. ‡ Hinc quoque, ut quibuſdam placet, oritur aliud, inter calorem ſthenicum et aſthenicum,

* His verbis ſolum causâ brevitatis utor. Calor *ſthenicus*, pulſus fortis, pleni et duri; *aſthenicus*, debilis, parvi et frequentiſſimi, comes eſt.

† V. Huxham on Fevers, p. 126, 127.

Frank de Cur. Hom. morb. tom 1. 105, 184.

‡ Jackſon on Fevers, p. 192

cum, diſcrimen. Calor ſthenicus, ut Frank loquitur, ſemper eſt *verus*, vel Thermometrum afficiens; aſthenicus verò, ſæpè tantùm eſt ad *ſenſum*, quippe qui ab ægro ſentitur, ſed nullâ in mercurio dilatatione ſe prodit.

Calor morboſus, qui ad Thermometrum afficiendum nihil valet, nonnunquam tactum medici peracutè afficit: ideóque *pungens*, *mordax*, *digitos urens*, eſſe dicitur. Hoc à Pringle, D. Monro, aliiſque medicis peritis ſæpè obſervatum eſt. Dr Blane his verbis deſcribit. "It is a peculiar "heat in the ſkin, communicated to the hand of "another perſon. It is uſual to graſp the wriſt "of the patient after feeling his pulſe, in order "to examine the ſtate of the ſkin in point of "heat and moiſture; and in doing this, a glow "of heat is impreſſed on the palm of the hand, "which laſts for ſome hours, if one ſhould ne"glect ſo long to waſh his hands." * Quamobrem

* Diſeaſes of ſeamen, p. 34?, 349.

Dicitur Gallicè la Chaleur *d' acrimonie*, ut diſtinguatur à calore vero, qui nominatur la Chaleur *d' inflammation*.

Queſnay Traité des Fievres Continues.

brem æger, cùm ejus corpus, Thermometro teſtante, nihil ferè quàm ſolito calidius ſit, tantùm de calore queritur ; et, multò magis, propter quid ejus cutis tangenti ſenſum talem dat, non dicere auſim. Hæc verò phænomena, ut ex auctoribus à me perlectis videtur, cum evidente impetu circuitûs aucto nunquam occurrunt ; adeóque pro caloris aſthenici propriis, me judicante, haberi merentur. Ex auctorum obſervatis quoque apparet, calorem ſthenicum plerumque conſtantem, et per totum corpus æqualiter diffuſum ; * aſthenicum minus æquabilem eſſe, et ſæpè cùm frigore alternare. † Nos verò confiteri oportet, has obſervationes non ſine exceptione recipiendas eſſe. Haud tamen omninò inutiles ſunt ; nam multa, quæ ad diagnoſim valent, nonnullis exceptionibus obnoxia videntur ; et nihilominus, cùm plerumque veritati conſentanea ſint, ſummam omnium medicinam facientium attentionem jure vindicant.

Annon

* Excipienda eſt inflammatio aliquam partem afficiens, quippe quæ aliis partibus calidior ſit.

† Jackſon on Fevers, paſſim.

Annon color cutis ulla vigoris aut debilitatis ægrotantium signa præbet, nunc est nobis inquirendum.

Cum cor arteriæque fortiùs quàm solitò suis muneribus funguntur, corporis superficies florida, plena, et quasi tumida, apparet; nam vis sanguinis aucta ad majorem copiam in vasa cutis impellendam valet. Cutis vero pallida, fæda, rugosa, impetum sanguinis imminutum plerumque comitatur. Hæc præcipuè ad vultum referunt, quippe qui mutationibus, quas totum corpus subit, facilè afficitur; et præ aliis partibus attentionem medici vindicat. Minimè verò negandum est, summam cutem, impetu sanguinis deficiente, interdùm erubescere. Hoc tamen, partes solùm afficiens, et citò evanescens, facilè medico distinguendum est, ab illo rubore, per corpus latè diffuso, et constante, qui ex vi cordis et arteriarum auctâ suam originem ducere solet.

Urina hominis salute fruentis, ut primùm excreta, pellucida, et coloris citrini et subflavi est. Cum jam friget, *nebula* sic dicta conspicitur; nam quædam materia mucilaginosa non longiùs

soluta,

ſoluta, et in urina adhuc natans, admodùm turbidam reddit. Cùm circuitus ſanguinis fortiùs quàm ſolitò peragitur, vis hujus materiæ magna frigendo deponitur, urinamque valdè coloratam et turbidiſſimam facit. Hinc urinæ, quas ægri febre inflammatoriâ affecti reddere ſolent, *ardentes flammeæ* et *rubræ* ab auctoribus appellantur.* Viribus verò cordis et arteriarum deficientibus, vix, ac ne vix quidem ulla mucilago è ſolutione ſe evolvit; urinaque pellucida nullum mutationis inter frigendum ſubit. Hinc, qui Typho laborant, urinam pallidam, crudam, et ſedimento carentem plerumque reddunt. Memoriâ verò retinendum eſt, urinam, cùm multum debilitatis adſit, nonnunquam longè aliam eſſe; nam fluidum quod ex veſica excernitur, ſæpè craſſum, fuſcum, interdum nigrum, malique odoris evadit. Diſcrimen autem, quod inter hanc, et illam urinam vigorem arteriarum auctum comitantem intercedit, nemini latere poteſt.

In

* Vide Frank. de Cur. Hom. Morb. tom. I. p. 185

In corpore morbis laborante ſæpè occurrant quædam affectiones, ſive ſymptomata, vulgò *nervoſa* dicta, quæ, tametſi diſtinctu haud difficilia ſint, ægrè definitione ad ſingula congruente comprehenduntur. Hæc plerumque vires corporis fractas eſſe oſtendunt; nam in morbis, ſanguinis jacturam aliaque infirmantia bénè ferentibus, perrarò obſervanda veniunt. Potiſſimùm conſtant ex virium movendi et ſentiendi actionibus imminutis, abnormibus, vel præter ſolitum auctis. Senſuum hebetudo, torpor; vultus collapſus, et oculus languidus; difficultas devorandi, vox deficiens, aliæque affectiones paralyticæ; urinæ et fœcum alvinarum, inſcio ægro, excretio; lachrymatio ſpontanea; guſtus depravatus, ſtrabiſmus et viſus duplex, tinnitus aurium, cutis nimis acutè ſentiens cum inquietudine; vertigo, deliquium animi ex motu leviſſimo, delirium mite, collectio floccorum; ſupra tergum decubitus, et lapſus ad lecti imum; paraphonia, convulſiones, ſubſultus tendinum, ſuſpirium; oſcitatio frequens, et ſingultus; tremores, triſmus, aliique ſpaſmi tonici. Mihi verò non

latet,

latet, horum ſymptomatum pleraque in morbis nimio vigore ſtipatis interdum occurrere; tamen in indolis contrariæ morbis multò frequentiùs adſunt. Præterea ſymptomata nervoſa, in morbis ſthenicis occurrentia, plerumque aliquid habent ſibi proprium, propter quod pro debilitatis indiciis haberi non poſſunt. Alienatur mens, exempli gratiâ, in phrenitide tàm idiopathicâ quàm ſymptomaticâ, interdumque cæteris in morbis, qui febres inflammatoriæ vulgò dicuntur; in his verò Delirium evadit ferox et vividiſſimum, toto cœlo diſtans ab illo proſtratas vires comitante, quo æger mœrore inſigni, metu, et aliquando ſtupore affectus, multùm ſibi muſſitat, et quæ circum fiunt, parùm curat. Benè quoque notandum eſt, ſymptomata nervoſa, in morbis nimio cum vigore conjunctis, ſæpè ex cauſis aliquam partem ſolùm afficientibus oriri. Singultus, exempli cauſà, ſæpè ſummæ debilitatis indicium, et lethi inſtantis prænuncium haud fallax eſt; nonnunquam verò oritur in morbis remedia antiphlogiſtica requirentibus. Nam ſingultus frequens eſt ſymptoma inflamma-

tionis, ſeptum tranſverſum, aut hepar, aut ventriculum, aut fortaſſè inteſtina afficientis.

His generis nervoſi affectionibus haud rarò adduntur alia ſymptomata, quæ procul dubio ſummæ virium jacturæ indicia ſunt; quippe quæ oſtendunt, vires vitæ eò uſque fractas eſſe, quòd corpus, quaſi omnino vitâ privatum, quodammodo jam putredinem incipientem ſubierit. Hinc ea ſymptomata *putrida* dicuntur. Ex his præcipua ſunt, maculæ in cute lividæ purpureæque, ecchymoſes, petechiæ, proclivitas ad gangrænam; ſanguis è cute, naſo, utero, aliiſque partibus fluens; cruſta, atra, aſpera, quâ labia, lingua, et gingivæ obducuntur; materiæ fuſcæ et nigræ per vomitum ejectio, ſudores ſanguinei, anima fœtida, et dejectiones ex alvo odorem cadaveris putridi referentes. Hoc mihi perſuaſiſſimum eſt, corpus humanum, uſque dum vel tenuiſſimâ vitæ particulâ fruitur, nullam poſſe ſubire mutationem, quæ illam, a Chemicis putredinem dictam, quod ad omnia refert. Utcunque verò hoc ſit, illa, quæ jam recenſui, ſymptomata, ſummæ virium jacturæ haud dubia indicia

cia ſunt, et prorſùs omnem cum nimio cordis et arteriarum vigore ſocietatem reſpuunt.*

Hæc ſunt præcipua vigoris et debilitatis indicia, quæ, ut mihi videtur, plurimùm in conſiliis medendi ſumendis valere debent. Longè mihi abſit, ut dicam, omnes, quibus homines plectuntur, morbos nihil aliud quàm diverſos nimii vigoris aut debilitatis gradus eſſe. Cuique eſt ſua indolis propria, et ſibi peculiaris. Verum enimverò mihi perſuaſum eſt, morbum unumquemque, formas, prout vires ægri nimiæ aut deficientes ſint, longè diverſas induere poſſe. Hinc ad medicinam ritè et feliciter faciendam minimè ſatis eſt, quo nomine aliqua affectio morboſa apud Noſologos nota ſit, exploratum habere. Medicos ſummâ ope niti oportet, ut inſuper vigorem, quo æger omnibus vitæ muneribus fungitur, indagent; et ſecundum hunc exploratum adminiſtrationem remediorum dirigeant.

* In ægro a D. Monro tractato, febre Intermittente laborante, petechiæ per paroxyſmos apparuerunt, interque apyrexias evanuêre. Vide Monro On diſeaſes of the Army.

geant. "Nam in adminiſtrandis remediis memo-
"riâ ſemper tenere oportet, non nominis morbi
"ſolùm—rationem—habendam, ſed multas—
"ſæpe res eſſe reſpiciendas, tum quæ—ad indi-
"ciorum varietatem et conjunctionem, tum quæ
"ad ægri ſtatum et vires,—attinent."

Quò hoc dilucidiùs appareat, mihi conſilium eſt, leviter pro exemplis attingere morbos quoſdam ex ordinibus pyrexiarum quatuor ultimis, ſcilicet, Phlegmaſiis, Exanthematis, Hæmorrhagiis, et Profluviis, depromptos. Mihi res in medicina geſtas, et medicorum obſervationes perpendenti clarè videtur, pro lege univerſa habendum eſſe hoc principium, nimirum, quòd *unuſquiſque ex ordinibus ſupra dictis morbus, tàm cum vigoris, quàm cum debilitatis ſignis exiſtere poſſit; et reverà in corpore humano ita exiſtat: hincque quovis ſub genere ſpecies ſive varietates duæ, cùm ſymptomatis tùm curatione inter ſe prorſus diverſæ, recenſendæ ſint.*

In hac autem diſſertatione morbos perpaucos attingere poſſum: conſilium mihi igitur eſt, tantùm eos percurrere, qui frequentiùs occurrant,

et

et qui nunc cum vigore, nunc cum debilitate inire non vulgò habentur.

Hepatitis, Rheumatiſmus, et Ophthalmia inter Phlegmaſias nobis haud multum operis afferent. Hepatitis et Rheumatiſmus ſub indole chronica æquè frequenter ac acutâ occurrere ſolent; et ex eorum morborum nominibus ſolis nunquam ſumitur conſilium, quo ad ſanguinis detractionem confugiendum ſit. Ophthalmia quoque quibuſdam in ægris remedia *tonica*, in aliis *antiphlogiſtica* poſtulat.

Nemini medicorum latere poteſt, quòd Variola non magis cum debilitatis, quàm vigoris indiciis ſocietatem inire refugiat, adeóque duas formas diverſas, nimirum, Diſcretam et Confluentem, induat. Hæc diverſitas à multis auctoribus, verò à nullo fortaſsè meliùs, quàm ab Huxham, deſcripta fuit.* In Variola Diſcreta, hoc auctore teſtante, ſanguis è venis miſſus cruſtâ tenace inſtar corii obducitur, et venæſectione repetitâ opus eſt; pulſus plenus et durus ſæpè evadit; calor

* Vide Huxham, Eſſay on Fevers, p. 126. &c.

calor intenſus, urinæque multùm coloratæ. In Confluente autem, pyrexia typhodes, pulſus valdè frequens, debilis, et parvus; vultus pallidus et collapſus; urina cruda, petechiæ, profuſiones ſanguinis, aliaque ſymptomata *putrida* in conſpectum veniunt; et illa adminiſtratio antiphlogiſtica ægris multum damni inferre ſolet. Haud mihi quidem ignotum eſt, quòd in Variolis Confluentibus, debilitate inſigni, vel etiam putredine ſtipatis, nimirum, cum febris, ſic dicta *ſecunda*, invaleſcit, cathartica ſæpè exitu felici adhibentur, Alvi verò purgatio, ut mihi videtur, nunquam propter ſuam vim infirmandi talibus ægris aliquid boni inferre poteſt. In plurimis morbis Cathartica utilia ſunt, quia ad ſanguinis diſtributionem mutandam valent: nempè, quatenus ab organo vitæ neceſſario, ad quod plus juſto ſanguinis delatum erat, derivationem ſalutarem inteſtina verſus efficiant. In Variolis, febre ſecundâ invaleſcente, haud rarò oritur ſanguinis diſtributio abnormis ad cerebrum vel pulmones; quo æger, veterno, vel delirio, vel ſpiritûs difficultate urgente, in ſummo vitæ diſcri-

mine

mine verſatur. Eſt medicinæ ſolertis quàm primùm mutare hanc diſtributionem periculoſam, aut veſicatoriis, aut purgantibus, aut interdum ſanguinis ipſius detractione. Medicus interea fortaſsè luget, minimam jacturam virium ab his remediis illatam eſſe; talis verò jactura parvi facienda eſt, prout neceſſaria ad malum periculoſius ſummovendum. Hoc nihil aliud eſt quam imitari Naturam; quippe quæ nonnunquam ſuâ ſponte derivationem ſalutarem efficit; nam, ſalivatione profuſà, aut tumore faciem, manus, vel pedes afficiente, interdum et cerebrum, et pulmones ſublevantur.* Nec obliviſcendum eſt, cathartica in his exemplis nonnunquam prodeſſe, tantò, quantò eorum ope ex alvo expelluntur fæces corruptæ, vel etiam ad putredinem vergentes, quæ in inteſtinis retentæ, procul dubio haud innoxiæ fuerant.

Ex Doctoris Withering obſervationibus patet, quòd Scarlatina Anginoſa formas diverſas quoque

que

* Pro uſu purgantium in aliis morbis debilitate ſummâ ſtipatis eadem ratio reddenda eſt.

que induere gaudet. Symptomata, quæ hunc morbum faciunt, interdum confociantur cum pulfu pleno et duro, faucium rubore vivido, et inflammatione acutâ, intenfo cutis calore aliifque affectionibus, fanguinis detractione cæterifque infirmantibus, levandis. Nonnunquam verò in ægris eodem morbo laborantibus pulfus debilis, valdè frequens, et admodum irregularis evadit; cutis ferè nihil præter folitum calet; inflammatio, quâ fauces afficiuntur, colore purpureo, et ad gangrænam proclivis eft. Nunc de infirmantibus loqui nefas fit; apud vinum, corticem Cinchonæ, fimiliaque omnis noftra fpes, et profugium manet.*

Rubeola quoque fub forma, quam ufitatiùs induat, indicia nimii vigoris admodùm evidentia oftendit; et per fanguinis detractionem, præcipuaque remedia antiphlogiftica felici cum eventu tractatur. Auctores verò Rubeolam aliæ prorfùs indolis defcribunt. Pyrexia, quæ eruptioni præcedit, fpeciem Typhi maligni refert;

et

* Vide Withering on the Scarlet Fever.

et uſum remedii cujuſvis generalis, niſi vini, corticis, ſimiliumque prohibet. *

In Catarrho, qui vulgò morbus inflammatorius habetur, indicia vigoris, etſi levia, ſæpè haud dubia ſunt. Excretio verò muci ex glandulis membranæ narium, faucium, partiumque vicinarum, haud rarò augetur, cùm ſymptomata longè diverſa adſint. Hoc præſertim, Catarrho epidemicè graſſante, à medicis obſervatur. Pulſus parvus, debilis, tremulus, et valdè frequens; proſtratio virium inſolita, vertigo, cerebrum comate vel apoplexiâ affectum, ſputa atra et fœtida, cutis pallida et aſpera, petechiæ liveſcentes, ſubſultus tendinum, tremoreſque totum corpus afficientes; hæc aliaque ſymptomata, à medicis obſervata, procul dubio oſtendunt, quòd Catarrhus interdum longè ab indole verè inflammatoriâ abſit. †

* Vide Sauvages Noſo. Meth. tom. 1. p. 433. Lond. Med. Ob. vol. 4. Art. XI.

† Hempel Diſſ. de Catarrho. Halæ. 1795. Baker de Catarrho

Ille ſanguinis ex utero præter ordinem fluxus, qui apud Noſologos Menorrhagia nuncupatur, ſæpè læſione functionum corporis, *pyrexiâ* dicta, ſtipatur. Hæc verò pyrexia ſpeciem eandem non ſemper induit. Fæminæ indolis maſculinæ, et victui lauto aſſuetæ, vim ſanguinis majorem quàm ſanis in menſibus interdum per vaginam effundunt; pulſus interea plenus et fortis evadit, ſanguiſque effuſus ſuperficiem coriaceam albam oſtendit. His ægris ſanguinis detractio, frigus, quies, aliaque adminiſtrationis antiphlogiſticæ remedia integram valetudinem reducunt. Menorrhagia tamen frequentiùs ſuos impetus in conſtitutionis prorſùs diverſæ ægras facit; quippe quarum vires cæteris morbis, labore improbo, victu tenui, jam infractæ fuerant. Pulſus, durante fluxu, debilis et frequentiſſimus fit; ſanguis, qui ex utero erumpit, nihil cruſtæ coriaceæ oſtendit *; affectioneſque convulſivæ ægras miſerrimas multùm vexare ſolent. Hîc verò loci de plethora et nimio vigore garrire, perabſurdum eſt.

† Vide Hey's Obſervations on the Blood, p. 15, 16.

eſt. Remedia infirmantia, niſi cum ſummo ægris vitæ periculo, non adhibentur: omnis medicus peritus ad victum lautum, vinum, corticem Cinchonæ, ſine mora confugit

Mihi nunc in animo eſt unum tantùm alium morbum attingere, qui, propterea quòd maximè momenti ſit, ad ultimum locum ſervatur.

Inflammationes, quibus viſcera thoracis afficiuntur, in Noſologia ſub Pneumoniæ nomine comprehenſæ, debilitati, in functionibus vitæ, ut ſuprà deſcripta fuit, inimicæ et inſociabiles eſſe, apud Noſtrates ſaltem, vulgò habentur.

Indicia tàm generalia, quàm propria, quæ Pneumoniam faciunt, aut definiunt, ſequuntur; nimirum, pulſus plenus, fortis, plerumque durus; ſanguis cruſtà, tenace, et alba obductus; calor plurimùm auctus, urina rubra, perpauca ſymptomata nervoſa, et ab omnibus, quæ putredinem referunt, immunitas; reſpiratio difficilis, et crebra; tuſſis, et dolor in quadam thoracis parte, conatu ad pulmones implendos aucta; ſputa alba, viſcida, interdum ſanguine tincta. Hinc inflammationes pneumonicæ, apud pleroſque

medi-

medicorum animos, non minus arctè cùm sanguinis detractione, victu tenui, omniumque stimulantium prohibitione, quàm Syphilis cum mercurio, aut Intermittentes cum cinchona consociantur. Inflammatio verò, experientiâ quorundam auctorum testante, viscera thoracis afficiens, suis symptomatis propriis per vitam prodita, et post mortem inspectione cadaverum adfuisse ostensa, nonnunquam cum signis summæ debilitatis haud dubiis consociatur. Talis affectio morbosa in operis Huxham, Sauvages, J. P. Frank, Jos. Frank, F. L. Kreysig, aliorumque auctorum plenè descripta est. *

Primum omnium cum symptomatis nervosis, quæ Typhum vulgarem inducere solent, suum impetum facit. Sequuntur magna spirandi difficultas, et tussis gravis, sive nulla cum expectoratione,

* Vide Huxham on Fevers, &c.—Sauvages Nos. Method.

Frank de Cur. Hom. Morb. tom 2.

Jos. Frank. Ratio Instituti Clinici.

Kreysig de perepneumonia Nervosa sive maligna.

tione, five cum fputis, nunc inftar feri tenuibus, nunc fanguineis, foetidis, adeóque acribus, ut cutem à larynge partibufque vicinis abradant. Pulfus eft parvus, debilis, frequentiffimus, inæqualis, et crebrò fe mutans. Cum pyrexiæ acceffione afficitur thorax dolore acuto, pungente, quo refpiratio impedita et crebra fit. Spiritus, nifi cum trunco corporis erecto, difficillimè ducitur; æger verò, ob proclivitatem ad animi deliquum, erigi non poteft. Delirium mite, vertigo, tremores, fubfultus tendinum, et coma cerebrum afficiens, nunc fe produnt. Nec indicia putredinis abfunt; nam urinæ atræ, et fanguineæ, hæmorrhagiæ ex nafo, inteftinifque prorumpentes, dentes cruftà afperà obducti, lingua nigra, petechiæ fufcæ, et livefcentes in confpectum veniunt. Sanguis ex venis miffus nihil cruftæ coriaceæ oftendit, craffamentumque vix cohæret. Sanguine infeliciter detracto, nihil levaminis affulget; omnia in pejus ruunt, pulfus virefque ægri, miro in modo, deficere incipiunt. In hofte tàm diro oppugnando ars noftra haud multùm valet. Ad opium verò, vinum, cinchonam, alia-

que

que roborantia, antiphlogiſticis rejectis, pro auxilio nobis confugiendum eſt.

Quæ jam dicta ſint, hanc affectionem ſub ejus forma graviſſima delineant. Ad pneumoniam verò referri benè meretur; nam omnibus, quæ hoc genus definiunt, ſymptomatis ſtipatur.

Minimè tamen mihi latet, quoſdam eſſe, quibus placeat dicere, affectionem ſuprà deſcriptam, nihil aliud quàm pneumoniam cùm typho vulgari conjunctam eſſe. Sed haud mihi veriſimile videtur, affectionem topicam, in hac ſymptomatum conjunctione, indolis prorſus ejuſdem eſſe, cum inflammatione illa, quâ, in pneumonicis ſanguinis detractionem benè ferentibus, pulmones afficiantur. Utcunque verò hoc ſit, rejicienda eſt illa opinio communis, nempè, quòd inflammatio pneumonica non ſolùm ex cujuſdam partis affectione, ſed etiam ex diatheſi totius corporis inflammatoriâ, ſemper conſtat. Quomodo vaſa ſanguifera partis inflammatæ reverà ſeſe habent, haud benè cognitum eſt: ſatis verò evidens videtur, eorum conditionem, quæcunque ſit, non ſemper omninò eandem eſſe; quoniam inflam-

matio

matio nunc ad ſuppurationem, nunc magis etiam ab initio ad ſphacelum vergit.

Eodem modo formas et ſthenicas et aſthenicas, quas Peritonitis, Enteritis, Eryſipelas, Dyſenteria, aliæque pyrexiæ induere gaudent, ex multis auctorum obſervatis depingere poſſum. Quæ verò ſuprà dicta ſunt, ad meam opinionem de indole pyrexiarum duplice et ambiguâ illuſtrandam nunc ſufficiunt.

Nec quidem mirandum eſt, affectiones corporis adeo diverſas ex eadem cauſa oriri. In Phyſicis eadem cauſa nunquam effectus diſſimiles producit; nempè, quia corpora vitâ carentia, quocunque, et eodem impetu, quo vis externa impellit, ſemper feruntur. Corpus verò humanum, dum vitâ fruitur, omni rerum externarum in illud agentium effectui modos adhibere pollet. Hinc quicunque morbus, quo homines plectuntur, evadit effectus non ſimplex, ſed compoſitus, nimirum, ex effectibus rei alicujus externæ, et cujuſdam conditionis in corpore ægri.

Procul omni dubio videtur, quoſdam morbos pro rata parte ſuæ cauſæ excitantis admodum

variari.

variari. Hoc verò non de omnibus conſtat. Nulla, ex. gr. ſunt experimenta, quæ probant, quantitatem materiæ contagioſæ minorem, Variolas Diſcretas; majorem, Confluentes aut malignas excitare: nec unquam quidem obſervatum eſt, quòd Variolæ Inſitivæ, pro ratione materiæ inſertæ, graviores aut benigniores evadunt. Nihil verò dubii relictum eſt, unumquemque morbum pro rata conditione ægri, formas valdè diverſas induere. Hoc dilucidè apparet, cum animadvertitur ad effectus, qui ex vi externa corpori illatâ oriuntur. A gravi vulnere, contuſione, aut ambuſtione producitur quædam functionum corporis læſio, quæ vulgò Febris Symptomatica nominatur. Hæc verò febris non ſemper ejuſdem indolis eſt, etiam dum læſiones ipſæ externæ ſunt omninò ſimiles, et eâdem vi illatæ; nam in diverſis ægris ſpeciem, nunc ſthenicam, nunc aſthenicam induit. Eſt Chirurgi hanc febrem temperare, quo ab ejus impetu corpus ægri ne quid detrimenti capiat; et quo pars ipſa læſa, et nunc inflammata, in reſolutionem, aut ſuppurationem ſanam abeat. Ex ſuprà dictis

autem

autem apparet, remedia ad hoc confilium abfolvendum alia in aliis idonea effe.

Quænam fit natura et caufæ conditionum corporis, quæ tàm multùm morbos variare poffunt, non eft hîc locus exquirendi. Ut demùm huic differtationi finem imponam, haud minus mihimetipfi quàm meis Lectoribus pergratum eft.

FINIS.



EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.